

D F N

1604



00  
17  
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA X.  
DE ORIGINIBVS GEN-  
TIUM, ET MONARCHIARUM TER-  
RÆQUE DISTRIBUTIONE è DECIMO: DE  
ædificatione Turris Babylonicæ, linguarumq; con-  
fusione, nec non chronologia & vitis patrum  
usque ad Abrahami vocationem, ex vn-  
decimo capite Geneseos

ad privatam orationem 8. Aprilis anno Christi  
1598. proposita

à

SALOMONE GESNERO S. S.  
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSORE  
in Academia Vitebergensi  
publico.

Respondente

M. SALOMONE BLECHSCHMID  
Curienti Voitlando.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri,  
Anno clō 1698.



NOBILISSIMIS MAGNIFICIS  
REVERENDIS et CLARISSIMIS  
PRVDENTISS: DOCTISSIMIS

V V.

ADAMO à Wildenstein.

Capitano & præfecto:

Mecænati Θεοφιλωτάτῳ

φιλομυσοτάτῳ

SALOMONI BLANCK

Consuli: patrino & patrono

πατρικωτάτῳ

AVRELIO STREITBERGERO

S.S. Theologiae D. Superatten-

denti fidelissimo

M. SIMSONI MENCELIO

Symysta primario.

Fautoribus et præceptoribus suis

reuerenter obseruadis et amadis

Eximia REIPUBLICÆ & ECCLESIAE CVRIANÆ

in Voilandia Cultissimæ, προστάταις dignissimis.

DISPVAT: HANC

Humiliter & officiosè, pietatis, gratitudinis

& amoris ergò

Offert & dedicat

Respondens.

M. Salomon Blechschmid!

Curienfis Voilandus.



Questio prima de utilitate genealogiarum  
biblicarum.

Thesis I.



Imotheum suum Paulus graviter admo-  
net, ne attendat fabulis & genealogijs indetermi-  
natis, 1. Tim. 1. 4, eodemq; pacto Titum etiam al-  
loquitur: stultas quaestiones, & genealogias, et  
rixas atq; contentiones legales fuge. Sunt enim in-  
utiles & vanae. Tit. 3. 9.

II.

Quae non ita debent accipi, quasi Apostolus prohiberet Genealo-  
accuratam considerationem & explicationem genealogiarum gi.e dupli-  
biblicarum, qualis capite quinto & decimo Geneseos, in Exodo, ces finita  
Numeris, primo paralipomenon, Matthaei primo, Lucae tertio & infini-  
& alibi continentur. Expressè enim paulus inter genealogias ta.  
determinatas & à Spiritu Sancto annotatas interq; ἀπεράυτες,  
quae nulla scripturae certitudine, finitione & descriptione ni-  
tuntur, distinguit, illas alibi Rom. 9. commendans, has au-  
tem damnans.

III.

Etsi proinde caput Geneseos decimum praeter peregrino-  
rum nominum catalogum nihil continere neq; ullam nobis uti-  
litatem conferre videtur, si obiter & per transennam aspiciatur,  
plurimi tamen ijq; insignes fructus è diligenti ejus meditatione  
& interpretatione in Ecclesiam redundant.

IV.

Ac primum quidem discimus inde sacrae historiae antiqui-  
tatem, de qua Cyrillus libr. 1. contra Iulianum hoc pacto disse-  
rit. Mosaica multò antiquiora sunt his, quae à graecorum sapien-  
tibus scripta. Nam illorum quidem historici, omnem peragtan-  
tes terram, semper aliquid discere voluerunt, ut vetera scire ex-  
istimarentur: Idq; ibidem exemplo Pythagorae Samij & Tha-  
letis Milesij testimonioq; Platonis comprobatur, quod Soloni in  
Aegypto à sacerdote responsum fuerit: O Solon, Solon, Graeci  
estis semper pueri, senex autem graecus non est, pueriq; menti-  
bus omnes. Nullam enim antiquam tenetis seu doctrinam vel  
discipli-  
les, Solon.

*Græci sunt pueri & vetustatis ignari.* disciplinam annis canam, sed obliti estis vestri, eò quod multis seculis hac destituti fueritis. Huc pertinent quæ apud Aristot: 7. polit. cap. 10. & 2. de cœlo cap. 12. & apud Clearchum in libro de somno, qui Aristotelem à quodâ Iudæo multum se sapientiæ accepisse falsum fuisse perhibet.

V.

*Cadmus literas ex phœnice attulit.* Porro ex his, ut Cyrillus ait, cognoscere poterit quispiam Christianorum doctrinas esse antiquitatis magis venerandæ. Tunc enim nondum de literis sciebant græci, Cadmo eas vix tandem ex phœnice ad illos transferente, & tunc Mosaica erant scripta. Vbi & illud notandum, quod Cadmi appellatio ab hebræo kedem deducta hominem orientalem significat. Ex orientalibus proinde plagis literæ & sapientia in græciam venit, ut Clemens Alex: sexto Stromatum, & Eusebius libr. 10. præparat: evang: ostendunt.

VI.

*2. Antiquitas doctrinae Christianæ.* Alterum deinde commodum, quod ex antiquissimo hoc Originum libello, à Mose tradito, habemus, è priore sequitur, jucunda nimirum & necessaria quoq; *πληροφορία*, qua de veritate & certitudine doctrinae cœlestis constanter gloriari possumus. Valet enim Tertulliani sententia: primum quodq; verissimum judicandum est, adulterinum autem quicquid est posterius.

VII.

*3. Successio doctorum Ecclesie.* Ad hæc discimus inde, quos Ecclesia Dei inde ab initio mundi usq; habuerit patriarchas, episcopos, pastores, prophetas & gubernatores, per quorum *διαδοχὴν* & successionem doctrina cœlestis ad nos propagata est.

VIII.

*4. Phrasis prophetarum.* Ad prophetas præterea & libros veteris testamenti intelligendos carere hoc catalogo non possumus, cum gentes, regna, vrbes, regiones in biblijs non ijs appellationibus, quæ alioquin in lingua vel græca vel latina usurpantur, sed vocabulis suorum authorum vocitentur, ut Mizraim Aegyptus, Aram Syria, Iavan græcia.

IX.

*5. Genealogia Christi.* In primis autem utile est scire prima initia & continuum progressum genealogiæ Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ quidem in hoc capite aperiuntur.

X.

De alijs partim politicis, partim historicis & scholasticis commo-

commodis, quæ hinc emergunt, nunc pluribus agere nihil attinet. Rem potius ipsam aggrediemur.

## Questio II. de filijs & nepotibus Iapeti.

### XI.

Sic igitur Moses proponit: Et isti sunt filij Noæh, Sem, Cham, Iapheth. Tres proinde omnium populorum & nationum sunt stirpes. Deo enim difficile non est è tribus infinitam hominum multitudinem plantare.

### XII.

Quia enim Dei benedictio & iussio minimè est irrita, qua ex arca egressis dixerat: Crescite & multiplicamini: Idcirco his quoque tribus Noæh filijs nati sunt filij. Non enim naturæ, sed Dei opus est I. Cor. 3. Psalm: 127. 128.

### XIII.

Neque obstant diræ, quibus ingratum & impurum Chamum Noah devoverat, quo minus & ille sobolem procreet. Deus enim, ut alia quoque bona corporalia, ita & liberos æquè largitur impijs ac bonis. Psal: 144.

### XIV.

Nati autem sunt Noæh nepotes non ante diluuium, neque in arca, durante diluuiio, sed post diluuium. Ex quo animadvertimus, meram esse fabulam de Chanaane, filio Chami, quasi ille in arca conceptus & mox in egressu ex arca genitus sit.

### XV.

Iaphetus primo loco ponitur, unde quidam σοχαστικῶς colligunt, ipsum natu maximum esse. Filij autem eius sunt septem, qui iuxta Hieronymum possederunt terram in Asia ab Amano & Tauro Syriæ Cœles & Cilicæ montib. usque ad fluvium Tanaim. In Europa verò usque ad Gadirā nomina locis & gentibus relinquentes.

### XVI.

Primus est Gomer, qui à finiēdo seu consummando nomen habet. Ab eo enim descendunt populi, qui ad septentrionem seu Aquilonem ultimas usque in regiones sese extenderunt, & benedictionem Iapeto divinitus factam incredibili multitudine uberrimè impleverunt. Nam & Ezechiel cap. 38. expressè inquit, Gomer & Togorma latera Aquilonis.

A 3

17. Gome-

Dei benedictio facit, ut è tribus filiis Noæ omnes gentes propagarentur.

XVII.

*Gomerij  
sunt Cim-  
bri.*

Gomerios eruditi & imprimis D. Lutherus Cimmerios seu Cimbros, quos Mela Comaros dicit, esse existimant, qui ultra Thraciam, circa Mæotidem paludem olim habitarunt, Cimmerioq; Bosphoro nec non ejusdem nominis oppido appellationē reliquerint: inde verò colonias postea, cum loci eos angustia non caperet juxta Aventinū universos, vel, ut Herodoto placet, cum à Scythis in diversas regiones expulsi essent, in Cimbricam Chersonelum miserint, Daniam, Scandiam, Selandiam, Suetiam & vicinas ad mare Balthicum oras sibi vendicarint. Cimbrorum & Cimmeriorum sanè eandem esse appellationem Strabo lib. 7. fol. 203, testis est.

XVIII.

Cimmerij proinde seu Gomerij duū sunt generum: alij quidem Asiatici, alij Europæi, ejusdem utriq; capitis & stirpis locis direnti.

XIX.

Vnde jam liquet, quid de illorum ratione sit sentiendum, qui per Gomerios intelligunt Galatas Iosephus lib. 1. ant. cap. 7. quos nunc, inquit, græci Galatas vocitant, Gommenses olim dictos, Gomer condidit, quod approbat Hieronymus in quæst. Gen. XX.

*Gomerenses  
sunt  
Galatæ.*

De Galatis autem geographi uno ore testantur verum esse quod Hieronymus in præfatione libri secundi in epistolam ad Galatas è Lactantio refert: Galatiam provinciam esse minoris Asiæ, in quam Galli aliquando venientes cum græcis se miscuerint: Vnde primum ea regio Gallogræcia, post Galatia nominata sit. Idem sentit Plin. l. 5. cap. 32. & Strabo libr. 12 fol. 543. Pausanias autem in Atticis fol. 3. irruptionē & prælia Galatarū quib⁹ minorem Asiam invaserunt copiosè commemorat, & Suidas ait, quod Brenno duce ex oris occidentalibus Galatæ partim in græciam, partim in Asiam infusi tandemq; in provincijs ad Taurum montem juxta Halyn fluvium inter Bithyniam et Capadociam subsederunt.

XXI.

*Galatarū  
& Celtarū  
eadem ap-  
pellatio.*

Idem Pausanias eodem loco de Galatis id scriptum reliquit: Galatæ, inquit, in extremis Europæ oris ad vastum mare accolunt, cuius fines adiri posse navibus negant. Horum regionem amnis Eridanus perlabitur, Verum ut Galli seu Galatæ appel-



appellarentur non nisi serò usus obtinuit. Celtas enim cum ipse antiquitus, tum alij eos nominarunt.

XXII.

Quare si res probè expendatur, non erit Iosephi & Hieronymi interpretatio nostræ, quam à præceptoribus habemus, adversa, sed pulerè consentanea. Solam enim Galaticam provinciam, quæ in Asia minore est, cui Paulus dicavit epistolam, patriarchæ Gomeri eiusq; amplissimæ posteritati satis fuisse, non est credibile. Deinde Ezechiel latera Aquilonis Gomeri assignat. Qui vero septentrionales terras tû in Asia tum in Europa occuparunt, sunt Galatæ, Celtæ, Cimmerici, Cimbri, Germani. Unde etiam Thargum Hierosolymitanum perspicuè Germaniam Gomeri attribuit. Accedit vocabuli Gomer cum Cimmericorum & Cimbrorum & Germanorum συμφωνία: facit huc geographorum calculus, qui Galatas à Gallis ducunt. Gallorum autem appellationem olim communè fuisse omnibus populis ad Oceanum occidentalem inter Eridani Rheniq; Istri & Albis ripas, non modo è Pausaniæ verbis supra adscriptis, sed etiam è Cæsaris commentarijs liquidum est.

XXIII.

Ac evidentissimè Strabo lib. 7. fol. 280. Romani, inquit, mihi jure hoc illis nomen indidisse videntur, (de Germanis loquitur) ὡς ἂν γνήσιος γαλάτας φράζαν βελλόμενοι. γνήσιοι γὰρ οἱ γερμανοὶ κατὰ τὴν ῥωμαίων διάλεκτον, id est, cum Romani ostendere vellent eam gentem, quam Germanam vocamus, veros esse & propriè dictos Galatas, Germanos nuncuparunt. Romana enim dialecto germanum dicitur quod syncerum & genuinum est. Vbi observandum, quòd perperam vertunt hæc verba, qui è germanis fratres Gallorum faciunt.

*Germani  
sunt verè  
Galatæ.*

XXIV.

Neve divinatione ulla opus esset, quos intellectos velit, Galatarum limites ibidem constituit, Istrum ad australem, Albin ad septentrionalem, Rhenum ad orientalem, Oceanum ad occidentalem plagam.

XXV.

Non inquirim⁹ hæc temerè, sed ut de nostræ gentis primordijs constet, ac ut vel hinc etiam certi simus, ad nos pertinere promissionè Iapeto ejusq; filijs dicatâ, Iaphet habitabit in tabernaculis.

Sem.



Sem. licet alioquin non ignoremus, in Christo benedici omnes gentes terræ, & in Christo non esse discrimen inter græcum & Iudæum, circumcisionem & præputium, barbarum, scytham, servum, liberum, sed omnia & in omnibus esse Christum Col. 3. 11.

XXVI.

Magog alter Iapeti filius scytharum pater est & Turcarum, Quod enim Gog testum denoter, & Magog virum de recto seu sub recto & rugurio habitantem certum est. Ex quo sequitur eos, qui græcis vocati sunt scenitæ, Hamaxobij, Hamaxobitæ, Scythæ, Nomades, syriacè Magogitas nominatos fuisse. Ab ijs vero Sarracenicæ colluvies prodijt: idq; præstantissimis authoribus, Iosepho, Hieronymo, Cedreno, Zonara, Laonico Chalcondyle, Coelio, August. libr. 1. Sarrac: hist. Herodoto libr. 4. Pomponio Mela de situ orbis lib. 2. cap. 1.

XXVII.

Atq; hinc progressa est gens Christiano nomini infensissima, cujus adversus ecclesiam prælia Ezechielis 38. & 39. Apocal. 20. prædicuntur: ut alibi explicatum est. Quapropter ex posteris Iapheti plurimi promissionem patri suo factam abjecerunt, & non modo in tabernacula Semi non successerunt, sed eadem quoq; destruere conati sunt. Nam inimici hominis sunt domestici eius Matth. 10. 36.

XXVIII.

Tertius filius Iapeti est Madaj, à quo Medi descendunt, qui hoc ipso nomine Madai in biblijs ubiq; vocitantur 2. Reg. 17. 6. & 18. 11. Esth. 1. 3. 14. 19. Dan. 5. 31. & 6. 8. 12. 15. & 8. 19. & 9. 1. Es: 13. 17. Ier. 25. 25. & 51. 11. Et Medi quidem ad tabernacula Semi accesserunt, cum Daniel verum Dei cultum inter eos institueret, Darij mandato Dan: 6. 25. Quemadmodum etiam Cyrus Medorum Imperator veræ religionis patronus fuit: Dan. 6. 28. & 10. 1. & templi restaurator Esræ 1. 6. 3.

XXIX.

Quartus est Iauan seu Ion stirps Ionice gentis & totius græciæ. Sic enim Danielis 8. Alexander, qui per hircum prophetæ ostenditur, nominatur Rex Iauan, id est, græcorum. Dan. 8. 21. Dan: 10. 20. princeps Iavan, hoc est, græciæ veniet ut etiã Artasastha Nehem: 2. Filios Iuda & filias Ierusalem vendidistis filijs Hajevanim, græcorum, Ioël 3. 11. Græcia quoq; idem nominis habet Es: 66. 19. Ezech. 27. 13. 19. Zach. 9. 13. Quin-

XXX.

Quintus est Thubal seu Thobelus juxta Iosephum, qui Thobelis vel Iberis nomen dedit. Quod gens sit septentrionalis ex Ezechielis cap. 38. liquet, qui cum Gog & Magog eam conjungit, quemadmodum etiã illius meminit cap. 32. 37. Ac cū idem propheta cap. 27. 13. commercia hujus populi cum Tyro describens æris meminerit, & porrò cap. 32. 26. tantam Thobelitis potentiam tribuat, quæ toti mundo formidabilis sit: ex eo rectè colligitur, hac appellatione Chalybas notari, qui in Colchicis fodinis & officinis ferri & argenti opifices fuerunt: inde verò eosdem in Hispaniã postea traiecisse author est Iustinus, & Iosephus atq; alij Thubelem Hispanicæ gentis autorem agnoscunt. Iberia enim seu Hiberia est Hispania Pomponio & alijs.

XXXI.

Sextus est Mesech, à quo Melchinos deducit Iosephus, & ait, Cappadoces antiquitus id nominis habuisse, idque ex vrbe Mazeca, quæ in Cappadocia superstes fuerit, colligi existimat.

XXXII.

Hos quoq; septentrionem versus incoluisse Ezech. 38. restatur. Strabo lib. 12. geograph. Colchidis incolas ad ponti Euxini littora Mosynæcos à ligneis turribus seu domibus & tugurijs nomen sua in lingua traxisse annotavit, cui Apollon. lib. 2. astipulatur. Rectius autem hebræorum nominum hebræas querimus origines: itaq; Mesech à Malach, quod protrahere & diducere notat, dictum est. Nam ab intendendis & protrahendis arcubus appellationem Meschini sortiti sunt, El: 66. 19. Mesehejkescher, trahentes arcum vocantur.

XXXIII.

Neq; dubium est gentem Moschoviticam hinc superesse, de cuius in Ecclesiam tyrannide Psal: 120. conqueritur. Heu mihi, quod sum exul inter Mesech.

XXXIV.

Septimus deniq; Iapeti filius est Thiras, à quo Thraces oriri non ambigunt Iosephus & alij. Qui enim Thiras Babylonem venit, Thirax abiit, & mutato in ξ, sicut Vlyxes idem est cum Vlysse.

XXXV.

Filios Iapeti hætenus recensuimus, de nepotibus nunc quoq; videndum est. Iapheti filius itaque Gomerus trium filiorum

B

rum



rum pater est, quorum hæc sunt nomina, Aschenes, Riphat, Thogorma,

XXXVI.

*Aschenes.*

Aschenam Iosephus terminatione græca Aschenaxen nuncupat, & originem dedisse ait Aschenaxis, quos græci Rheginos appellare sint soliti. Qui autem sint aut ubi habitent Rhegini nec ipse nec eum secuti explicant. Et credibile non est Rhegij, oppidi in Italia, incolas, quorum Plin. libr. 3, cap. 5. Pomponius libr. 2, fol. 77. Strabo lib. 3, fol. 163, situm describunt, eos esse, de quibus Iosephus loquitur. Gentium enim & populorum non urbium origines commemorat. Neq. alios à græcis vocari Rheginos ex Pausaniæ lib. 6, quoq. constat.

XXXVII.

Ac cum Jerem: 51. 27. populi Aschenez cum Ararataeis & Minnis, id est, Armeniæ maioris & minoris gentibus coniungantur inq. Babylonis obsidionem & devastationem convocentur, instar exercitus horribilium bruchorum: ex eo liquet Aschenitas sacris literis minimè esse Rheginos in Italia, exiguis Rhegij finibus conclusos.

XXXVIII.

*Tuiscones*

Illorum proinde σοχαροδε magis veritati arridere videtur, qui Aschenam habent pro Tuiscone Germanorum auo, articulo Die vel der vernaculæ lingue præposito, quod in Babylonica linguarum confusione tum huic tum alijs nominibus gentium accidit. Qui proinde Aschenæ nomen Babylonem attulerat, Tuisconis vel Tuistonis inde reportavit. Fabula verò est quod fluxerunt Tuisconem unà in arca fuisse, de qua supra.

XXXIX.

Tacitus etiã annotavit, veteres germanos antiquis carminibus, quæ annalium illis usum præstiterint, celebrasse Tuistonem (rectius fortasse legeris Tuisconem) deum terra editum, & filium Mannum gentis conditores.

XL.

Et Aventinus lib. 1. Annalium fol: 10. Tuisconem herodem condito Babylonico imperio, de quo Gen: 11. paulo post, ex Armenia venisse in Europam, Germanis atque Sarmatis  
initia:

initia dedisse, totumq; eum tractum, sanè amplum, qui est inter Rhenum, Pontum Euxinum & Tanaim in Toparchias & tetrarchias divisum regulis distribuisse.

XLI.

Ipsa porrò Saxonica gentis nostræ appellatio *Diutsch* vel *Duetsch* indicio est, nos à *Tuistone* vel *Tuiscone* nomen trahere. Quo non parum facit, quod *Aventinus* in ripa *Rheni* è regione *Agrippinensis* *Coloniæ vicum* & *cœnobium* eodem cognomine extare scribit, olim civitatem fuisse, nunc etiam ab accolis tanquam incunabula gentis nostræ coli.

XLII.

Ac quemadmodum *Ascenes* in *Asia* *Ascaniæ* regioni supra *Phrygiam* ad *Cimmerium Bosphorum*, in qua *Nicæa Bithyniæ* vrbis clarissima, nomen dedit: ita inde in *Europam* profectus *Ascaniæ*, ut in titulis principum *Saxonie* videre est, genti vocabulum imposuit.

XLIII.

Alter filius *Gomeri* est *Riphat*, à quo *Riphataeos* (postea *Paphlagonas* nominatos) *Iosephus* & *Hieronymus* derivat. *Riphataeos* montes in *Sarmatia* hinc esse nominatos, è quibus *Tanais* defluit, consentaneum est.

XLIV.

Ac cum historici testentur *Henetam* gentem è *Paphlagonia* effusam esse: *Livius* dec: 1. l. 1. *Plinius* lib. 6. cap. 2. consentaneum est à *Riphato* numerosam illam *Henetorum* nationem, ortam esse, qui in *Europa* *Illyricum*, *Serviam*, *Russiam*, *Boemiam*, *Sarmatiam* late occuparunt, hodieq; multis locis sparsim tenent: *Vulgus* *Venetos*, nostri *Vendos* seu *Vandalos*, *Itali* *Slavos* nominant, juxta *Kranzium* & alios. Perperam hosce germanicæ stirpi accenset *Plinius* lib. 4. cap. 14. Et si enim habitatione hinc inde sunt permixti, lingua tamen, ingenijs, moribusque totum differunt.

XLV.

Tertius denique *Gomeri* filius est *Thogorma*, à quo *Iosephus* *Thygrammæos*, quos *Phrygas* græcis vocare libuit, deducit, quod etiam *Hieronymi* calculus probat. Alijs *Turcæ* hinc appellati videntur, tribus præcipuis literis *O*, *R*, *G*, conservatis.

XLVI.

Ac cum Ezechielis 38. capite Thogormæis latera Aquilonis assignentur, consentaneum est eo vocabulo septentrionalem ferum & barbarum aliquem populum intelligi, Gogitis & Magogitis, id est, Turcis vicinum, quales sunt Tartari. Neq; tamen idcirco vana est Iosephi & Hieronymi interpretatio: cum Thogormæi Phrygiæ limitibus initió contentos, mox inde, cum aduerti essent, per Mæotidem in Boreales vastissimos campos diffusos esse credibile sit. Certe quod Thogormæi cum Tyrijs & Sidonijs commercia habuerint, perq; mare mediterraneum equos, equites, & mulos in forum Tyrorum advexerint caput 27. Ezechielis perspicuè tradit.

XLVII.

Atq; hætenus de Gomeri filijs. Adduntur porrò à Mose filij Iavanis, quorum nomina minimè omnium corruptioni obnoxia fuerunt in Babylonica *γλωττογραφία*.

XLVIII.

Nam ab Elifa vel Ἑλληνας græcos, universe, vel Alyseos seu Aeolas, qui & Pelasgi, πολυπλάνητον ἔθνος Herodoto, in maris mediterranei insulis longè lateq; habitantes, & purpuram olim parantes, Ezech. 27. 7, à Tharsis Tharsum Ciliciæ metropolim, Pauli Apostoli patriam totamq; eam regionem, 3. Reg. 10. 22. 2. Par. 9. 21. & 20. 36. Ezech. 38. 13. Ion. 1. 3. à Cirthim vel Cethim Macedones, Es. 23. 1. 12. Ier. 2. 10. 1. Mach. 1. 1. unde Philippus & Alexander reges Macedoniae egressi, à Dodonim deniq; Dodonæos Epiri incolas, ubi & Dodonæum oraculum, duarum columbarum indicio conditum, ut antea recensuimus, denominatos esse nullum omnino dubium est.

XLIX.

*Questio III. de filijs & nepotibus Chami.*

Degener Noë filius Chamus quatuor filios genuit, Chusum, Mizraim, Phuth, Chanaanem.

L.

Chusum autem Chusitis, qui sunt Aethiopes, nomen & ortum dedisse planum est, scriptura attestante. Ezech. 29. 10. & 30. 5. Pl. 68. 32. 28. 4. Quemadmodum etiam Misraim notare Aegyptios extra controversiam est; cum adhuc Aegyptus Turcis & Arabibus dicatur Masra. phutes

L I.

Phutes autem, ut ait Iosephus, dedit Libyæ colonos, deq; suo nomine Phutos dici voluit, Extat & flumen in Mauritania hoc nomine: & complures apud græcos historici ejus mentionem faciunt, sicut adjacentis etiam regionis, quæ Phute dicitur. Hæc ille: & ubi in hebræo textu est Phut, latina versio habet Libyam, Ier: 46. 9. Ezech. 27. 10.

L II.

De Chanaane, quod ille Chananæos reliquerit, nulla demonstratione opus est.

L III.

Sed & hi Liberos reliquerunt. Chusus enim sex filios genuit, quorum primus Saba Sabæorum author fuit, alter Eviles Evilleorum, qui & Getuli: tertius Sabathes Sabathenos, qui græcis dicuntur Astabarti: Sabactas autem Sabactenos instituit. Raghma deniq; Raghmaeorû fundator est. Atq; hos omnes partim Æthiopiã, partim felicem Arabiam habitasse Ezech. 27. 22. Es: 43. 3. & 45. 14. & alibi apparet, Raghma duos etiam habuit filios, quorum unus vocatur Scheba, à quo Arabiæ felicis metropolis appellationem sortita est: Ps. 71. Es. 60. Ezech. 27. 38. 3. Reg. 10. Alter Dedan, qui & ipse urbi in Arabia felice vocabulum imposuit. Hinc prodijt Gog & Sarracenicã Mahumetana atq; Muselmannica collunies Ezech. 38. Apoc. 20.

L IV.

*Questio IV. de Nemrodo ejusq; imperio  
& tyrannide.*

Sextus Chusi filius est Nemrodus, quem Moses separatim recenset, vel quia illegitimus, vel quia res singulares præ alijs gessit. Duo enim de Nimrodo commemorantur. Primum ille cepit esse Gibbor, robustus, vel, ut græci reddunt Gigas, id est Tyrannus, potentia & ferocia formidabilis, sicut supra cap. 6. de gigantum appellatione dictum est, & hic continuo Moses nomen explicat, quod Nimrod fuerit Gibbor Zaijd robustus venatione, seu vehemens venator.

L V.

Venator autem more scripturæ nominatur, sicut principes Aquilonis Ezech. 32. 30. non tam quod bestijs insidiari, quam quod

quod homines affligere viq; subigere solitus fuerit. Abusus enim naturæ privilegijs novum servitutis modum invenit, & princeps atq; rex fieri attentavit, ut scribit Chrysoft: hom: 29.

LVI.

Nemrod  
tyrannus.

Hieronymus in quest: hebr. Gen: idem sentit, Nemrod, in-  
quiens, arripuit insuetam primus in populo tyrannidem. Et lo-  
nathan Ben Vziel ad nomen Nemrodi alludens, ait, illum fuisse  
Merodat, quod & tyrannum & apostatam denotat. Thargum  
Hierosolymitanum venatorem sic interpretatur, quod filios ho-  
minum venatus sit, eosq; seduxerit, partim exemplo sceleratæ  
vitæ, partim eloquentia à Semi Ecclesia & doctrina avertens &  
ad se adiciens. Philo quoq; in libro de Gigantibus Nemrodum  
ἀποστασίας accusat, indeq; nomen illi factum esse perhibet. Ma-  
rad enim est deficere.

LVII.

Moses tantam fuisse Nemrodi sævitiam asserit, ut in seram  
posteritatem proverbio transmissa sit. Cum enim crudelem ty-  
rannum notare vellent, velut alterum Nemrodum venatorem  
nuncuparunt.

LVIII.

Quod verò adijcitur, illum fuisse venatorem coram Domi-  
no, id aliqui sic interpretantur, quod adversarius fuerit Dei. Au-  
gustinus enī lib. 16. C. D. cap. 3. legit contra Deum, alij, quod  
Domino ejus insidiæ fuerint notæ, Chrysoftomus & alij, quod à  
Domino fuerit constitutus, Lutherus quod tyrannidem suam ti-  
tulo cultus divini & ordinis à Deo sanciti tutatus fuerit. Quæ  
omnia suo modo admitti possunt. Regiam enim potestatem à Deo  
accepit, qui distribuit regna mundi Dan. 2. & instituit politicum  
magistratum Rom: 13. Tyrannide verò contra Deum & prætex-  
tu authoritatis, qua divinitus instructus erat, ut & sapientia &  
eloquentia usus est, id quod ex structura turris cap. 11, patebit.

LIX.

Alterum, quod de Nimrodo narratur, est quale & ubi prin-  
cipatus sui initium habuerit, de quo Moses ita: Et fuit initium  
Regni ejus Babel, & Erech, & Accad, & Calne, in terra Sin-  
ghar. Singhar autem planities illa pulcherrima fuit ad Tigrim &  
Euphraten de qua Gen. 11, Dan. 1. Es. 11.

LX.

Pleriq; eruditi hæc quatuor nomina unius urbis in quatuor  
partes



partes digestæ propria esse existimant, ita ut Babylon fuerit τετραπολις, sicut Hebron antiquitus dicta fuit Kiriath arba, civitas in quatuor partes distributa Ios: 15. 13. Quorum sententiæ suffragatur, quod Aristoteles Babylonem non civitatem sed provinciam muris cinctam fuisse testatur, & Plinius 46. curias & plebes habuisse author est.

#### LXI.

D. Lutherus autem & alij pro quatuor urbibus habent, eò quod Calne videtur esse Seleucia Amos 6. v. 2. quæ à Seleuco cõdita, ut Babylonis potentia & opes hac æmula minuerentur: à Babylone distat 1. Mach. 12. 8. Act. 13. 4. Thargumici interpretes suffragantur. Nam Babylonem Ionathan vocat, Babylonem magnam: Erech autem tum illi tum Hierosolymitano est Hadas. Edessa, ut existimat Hieronymus & Lyra: Accad ab utroq; redditur Nezibin, cuius loci nomen Ezech. 27. 23. Onkelos usurpat pro voce Canne, quæ est in hebræo textu. Hieronymus Nisibin nominat, Calnem autem Ionathan & Hierosolymitanus appellant Ctesiphon, seu ut legit Hieronymus Ctesiphon, & ut ab urbe Babel illas distinguant ideo adiiciunt, fuisse eas sitas in terra Babylonica. Ctesiphon autem Straboni lib. 16. fol. 705. vicus est Ctesiphon propè Seleuciam, qui civitatis potentiam ac magnitudinem habet, adeo ut Parthorum multitudinem & apparatus omnem recipiat, ubi Parthorum reges hyeme propter aëris temperiem degere solent. Atq; istas quidem urbes, Edessam, Nisibin, Ctesiphonem in Babylonia sitas esse ex eodẽ 16. Strabonis fol. 709, liquet.

#### LXII.

### Questio V. de Assur.

Quia Moses primi imperij, quod Assyriorum fuit, & arcem habuit Babylonem, mentionem fecit, ideo digressiuncula παγευδελην̄ indicat, cur ea monarchia postea appellata fuerit Assyria & cur nomen Nemrodi perdiderit. Sævitia sua, inquit, & crudelitate effecit Nemrodus, ut populi, quos paulo ante subegerat, vicissim ab eo deficerent: inter eos etiam fuit insignis ille heros Assur filius Semi, Gen. 10. 22. 1. Par: 1. 17. qui vel violentia expulsus, vel, quod textui vicinius, sponte fugam capellens terram Singhar reliquit, & alia in regione urbes quatuor condidit: Nineven, & Rehoboth urbem, & Calach & Relea. Alij tres, alij quinque numerant.

Nemrod:  
sævitia  
causa de-  
fectionis.

Pro



**LXIII.**

Pro nomine proprio viri, Assur, Thargumici interpretes & Calvinus Iadaizans legunt appellationem regionis, Assyriæ, & narrationem de Nemrodo intelligunt, quasi ille Babylonico principatu non contentus de Singhar profectus in Assyriam alias vrbes condiderit, finesque sui imperij dilatauerit. Sed nos hebreæ veritati insistimus; alioquin enim dicendum fuisset Assurah, in Assyriam, aut El Assur, ut Ol: 5. 13. & præterea inexplicabilis esset quæstio, unde Assyria nomen sortita fuisset. Esaias verò cap. 23. 13. disertè ait, cum Cædim, id est, Chaldæi populus ante non essent, Assur fundavit eam gentem. Nineve autem metropolis fuit Assyriorum.

**LXIV.**

Hieronymus Rechoboth non habet pro vrbis nomine, sed de plateis civitatis Ninivæ exponit hoc modo: ædificavit Niniven & plateas vrbis: cui assentitur Thargum Hierosolymitanum, quod latinam seu græcam vocem retinet & ait, eum ædificasse plateas civitatis. Nam Rechob plateam significat Esth. 4. 6. Amos, 5. 16, & 8. 5. D. Luthero Rechoboth vna, & Ir altera est civitas: numerat enim quinque vrbes ab Assur extractas.

**LXV.**

Nineve Ion. 3. 1. 3. nominatur civitas magna, Lelohim, id est, Deo consecrata & extracta: ac consentaneum est, juxta D. Lutherum, Assurem Semi filium idololatriæ Nemrodicæ odio à Babylone abiisse, & hanc urbem condidisse, in qua vera de Deo religio conservaretur. Sicut ex historia Ionæ notum est remansisse in illa reliquias genuini cultus. Nomen ejus à Nino Augustin: l. 16. C. D. cap. 3. & alij derivant. Credibile est Assurem à filio Nino vocabulum vrbi indidisse, sicut Cain civitati Henochiæ Gen: 4.

**LXVI.**

De reliquarum nominibus nihil attinet pluribus disserere, cum vrbes illæ nomina sua sæpe mutaverint: quemadmodum etiam illud in medio relinquendum est, quod aliqui Ninivæ etiam faciunt urbem τετραπόλις. Licet hoc in textu refelli videatur, dum Moses Resen inter Nineven & Calach collocat. Nisi tota ea provincia à sua metropoli dicta fuit Nineve, in qua tamen diversæ diversorumque nominum civitates.

63. Quæ-

## LXVII.

*Questio V I. de filijs Mizraim.*

Mizraim porrò alter Chami filius octo populis originem dedit, quos ita recenset sacra historia, 1. Ludim, 2. Anabim, 3. Leabim, 4. Naphthuhim, 5. Patrusim, 6. Casluhim, 7. indeq; genitos Philisthim, 8. & Caphthorim.

## LXVIII.

Exceptis Leabim, inquit è Iosepho Hieronymus, à quo Libyes postea nominati sunt, qui prius Phutei vocabantur, & *Palaestini*. Chasloim, qui deinceps Philisthim appellati sunt, quos nos corruptè Palaestinos dicimus, cæteræ sex gentes ignotæ sunt nobis. Quia bello Æthiopico subversæ, usq; ad oblivionem præteritorum nominum pervenere.

## LXIX.

Possederunt autem terram à Gaza usque ad extremos fines Aegypti.

## LXX.

*Questio V II. de filijs Chanaan.*

Chanaan minimus Chami filius undecim populorum fundator est. Primogenitus enim ipsius vocatur Sidon, qui nobilissimam Phœniciae metropolim suo vocabulo insignitam condidit.

## LXXI.

Alter est Heth, à quo orti sunt Hethæi, tertius, Iebusi, à quo Iebusæj, quartus Emori, à quo Emorhæj, quintus Girgosi, à quo Girgosæj, γεγεσκηνοὶ χειρόφιλοι μάλλον ἢ χειρόφιλοι Matth. 8. 28. sextus Hini, à quo Hinæi, 7. Arki Arcæos, 8. Sini Sinæos 9. Arvadi Arvadæos, 10. Zemari Zemarios, 11. Hamathi Hamathios reliquit.

## LXXII.

Arkij Hieronymus legit Aracæum, eumq; Arcas oppidum contra Tripolim in radicibus Libani condidisse affirmat.

## LXXIII.

Quemadmodum etiam Arvadios, seu, ut ille pronunciat, Aradios Aradam insulam possedisse angusto freto à Phœnicis litore separatam scribit.

## LXXIV.

Zemaræos vel Samaræos Edessam nobilem Syriae Cœles urbem

urbem habuisse tradit, Hamath. verò ad suum usque tempus id nomen tam apud Syros quàm Hebræos retinuisse, eamque à Macedonibus post Alexandri mortem Epiphaniam cognominatam fuisse perhibet. Cæterarum gentium vocabula unà cum ipsis à populo Dei deleta sunt.

LXXV.

Univerſa vero gentis Chananeæ ditio hiſce limitibus circumſcripta fuit, teſtante hoc loco Moſe: Ab occidente fines erant Sidon, Gerara, Gaza: Latus meridionale Sodoma, orientale Laſa, quæ poſtea Cæſarea Philippi dicta eſt, boreale Libanus claudebat.

LXXVI.

Callirhoë. Cæteræ vrbes Sidon, Gerara, Gaza, Sodoma, Ghomorra, Adama, Seboim, notæ ſunt alioquin. De Laſa tradit Hieronymus, quod ipſa ſit, quæ Callirhoë dicitur, ubi Thermæ prorumpentes in mare mortuum deſluunt. Meminit eius fontis Joſephus lib. 17. antiquit. cap. 8. quòd Herodes morbo correptus, quo etiam extinctus eſt, calidis aquis Callirhoës ultra Iordanem medicorum ſuaſu foveri voluerit, eumque fontem non modo vim medicam habere, ſed etiam potu jucundum eſſe perhibet.

LXXVII.

De Chamî proſapia haſtenus, quæ nos admonet, 1. impios huius mundi bonis abundare & inſtar cedrorum florere, Pſal: 37. 73. 2. liberis etiam fortunatos eſſe Pſ: 144. 3. potentia & authoritate imperandi; dignitate pollere: 4. filijs lucis prudentiores eſſe in generatione ſua Luc: 16. 5. quæ res porro teſtatur vitam reſtare aliam, in qua pijs benè impijs malè ſit. Luc. 16.

LXXVIII.

*Queſtio VII. de filijs & nepotibus Semi.*

Superſt Semus, de quo poſtremo loco agit Moſes, ut expeditis, quæ extra populum Dei ſunt, de illo deinceps continuaſerie, abſque impedimento commentari quear.

LXXIX.

Duo Semus habet elogia: primùm enim pater eſt omnium filiorum Eber, & proinde Chriſti, quæ certè nobilitas eſt ſumma. Quid enim illuſtrius quam patriarcham eſſe Eccleſiæ & ayum.

avum Messiae. Adhæc frater Iapheti maioris, juxta versionem græcam, prædicatur, ut Iaphet sit primogenitus Noæ, alter Sem, tertius Cham. Textus autem hebræus id potius innuere videtur, Semum esse fratrem Iapheti grandio- rem. Nam He præfixum voci haggadol non genitivum, sed nominativum potius innuit, quæ sententia omnium Thargumicarum interpretatio- nam est. Ab Ebero proinde Ebræi denominati sunt, non ab Abrahamo, ut illorum quidam volunt, contra quos Augustin. l. 16. Civ. D. cap. 3. Hebræi non Abrahamæi: neq; ab eo, quod Abraham fluvium Euphratem transijt, ut existimat Theodoretus, quæst: 60. in Gen; & Elias Levita ex traditione R. Mos: Licet Eber transitum significet. Non enim filij transitus sed filij patris, cui nomen Eber, nominantur.

*Semi præ-  
rogativa.*

#### LXXX.

Iam filij Semi hoc ordine commemorantur. I. Elam, à quo juxta Hieronymum & alios Elamitæ principes Persidis. El: II. II. 21. 2. 22. 6 Dan: 8. 2. Ezech. 32. 24. Jer. 25. 25. 49. 34. Act. 2. 7. II. Assur, de quo antea. III. Arphaxad caput hebrææ gentis. IV. Lud, à quo Lydij juxta Hieronymum. V. Aram, à quo Syri, quorum metropolis est Damascus: ex quo nomine colligitur literam N, quæ prima est in dictione, Aram, per S blæsum expressam fuisse, quasi Saram, indeq; vocali mutata Syriæ nomen fluxisse.

#### LXXXI.

Nepotes Semi ex Aramo quatuor numerantur, qui gentium authores. I. Ghuz, quem Trachonitidis & Damalci conditorem facit Hieronymus, deq; eo porro commemorat, quod inter Palæstinam & Cœlen Syriam principatum tenuerit. Ab eo dicta est terra Ghuz, patria S. Iobis Iob. 1. 1. Hieronymus annotat septuaginta interpretes in libro Iob, ubi in hebræo scribitur terra Huz, regionem Ausitidem quasi Husitidem transtulisse. Verùm ea versio, quæ hodie nomine septuaginta interpretum fertur, simpliciter legit '8s. II. Chal, à quo Armenios Ieronymus deducit. III. Gether, à quo, juxta eundem, Acarnanij seu Carij. IV. Masch, pro quo septuaginta virorum versio Mosoch legit, inde Mæones, ut ait Ieronymus.

*S. Iobus*

#### LXXXII.

Nepos Semi ex Arphaxado est Schalach vel Schalech, pater Eberi

Eberi perperam vulgaris latina versio, quam Augustinus l. 16. C. D. cap. 3. sequitur, inter Arphaxadum & Salachem Cainam inserit. Eber autem duorum filiorum pater est. Nomen unius Pelag, quod divisionem significat, quandoquidem natalis ejus die divisione terræ, quam Noah inter filios & nepotes instituit, clarus fuit. Aventinus lib. 1. Annalium, & Cedrenus pag. 10. eam distributionem ita describunt, quod Noah oraculo divinitus accepto, tribus suis filijs eorumq; liberis anno post diluvium cxxxv. ut Beroso lib. 4. placet, terram testamento diviserit. Quæ autem cuiq; portio tradita sit, ex illis autoribus peti potest. Vtrum hæc partitio terræ cum confusione linguarum, quæ ad turrim Babylonicam accidit, eadem sit, ambigo, quia illa nominatur Babel confusio, & Thephuza dispersio Gen. 11. nuspian Pelagah, ex æquo instituta partitio.

#### LXXXIII.

Alter filius Eberi est Iaktan, è quo nati, Almodat, 2. Schaleph, 3. Chazarmaveth, 4. Iarach, 5. Doram, 6. Vzal, 7. Diklah, 8. Ghubal, 9. Abimæsl, 10. Scheba, 11. Ophir, 12. Havilah, 13. Iobab. Harum gentium, inquit Hieronymus, nomina posteriora (id est, quæ postea sortitæ sunt) invenire non potui: sed usq; in præsens, quia procul à nobis sunt, vel ita vocantur, ut primum, vel, quæ immutata sunt ignorantur. Possederunt autem à Cophe ne fluvio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria. Quibus addunt alij quod ab Ophiro regnum sit Ophir, hodie Peru, olim quoq; Peruaim 2. Paral. 3. 6. numero duali, unde aurum ad templi structuram allatum, aliæq; merces preciosæ 1. Reg. 9. Quare non existimare debemus Indicos populos hac postrema ætate inventos aliunde, quàm à Noæ nepotibus, originem ducere: cum tot incognitarum gentium nomina, quæ Indiam occupaverunt, hic enumerentur.

Peru.

#### LXXXIV.

Moses nihil adjicit præterea, quàm quod habitatio illorum fuerit a Mescha proficiscendo usq; ad Sephar montem Orientalè.

*Questio IX. de monstrosis hominibus*

*& Antipodibus*

#### LXXXV.

Univerſa verò hæc narratio ita concluditur, quod ab his filijs

etiam & nepotibus Noëh divisæ sint gentes post diluvium. Quæ-  
rit Augustinus lib. 16. Civit: D. cap. 8. utrum ex filijs Noëh cre-  
dendum sit quædam monstrosa hominum genera propagata esse *Monstrosa*  
eiusmodi sunt Pigmæi, Sciopodes, Cynocephali, Androgyni, *hominum*  
vel Hermaphrodyti. Et breviter respondet. Quisquis uspiam nas- *genera.*  
citur homo, id est, animal rationale mortale, quamlibet nostris  
invisitatum sensibus gerat corporis formam, seu colorem, seu mo-  
tum, five sonum, five quamlibet vim, qualibet parte, qualibet  
qualitate naturæ, ex illo protoplasto uno originem ducere nul-  
lus fidelium dubitaverit.

LXXXVI.

Neq; nobis videri absurdum debet, ut quemadmodum in  
singulis quibusq; gentibus quædam monstra sunt hominum, ita  
in universo genere humano quædam monstra sint gentium. Ad-  
dit autem: Omnia genera hominum, quæ dicuntur esse, esse cre-  
dere non est necesse.

LXXXVII.

Quærit porro Augustinus eodem libro cap. 9. an sint anti-  
podes, qui adversa nobis urgeant vestigia, ut ait, Tullius? Esse  
verò Lactantium secutus pernegat, eo quod existimat, illos de  
genere Adæ venire non posse.

LXXXVIII.

Aventinus lib. 3. Annalium Virgilium quendam Ger-  
manicæ episcopum Philosophiæ & mathematices peritum ob as- *Vergilius*  
seros Antipodes à Bonifacio Pontifice pro hæretico habitum & *denuatus*  
anathematis fulmine ictum fuisse perhibet. Ita enim sententia bo- *propter*  
ni illius Vergilij accepta fuit, quasi ille alium mundum, alium *Antipo-*  
solem, aliam Lunam, & homines non ab Adamo atq; Noa pro- *das.*  
pagatos introduxisset.

LXXXIX.

Sed esse antipodes (& ἀντίχθονας) tam certum est, ut ne-  
gari non possit? neq; enim argumentis sed experimentis nauta-  
rum constat. Hi vero etiam à filijs Noëh sunt orti. Videatur Ma-  
crob. in Somn. Scipion. l. 2. cap. 5.

XC.

Conclusio deniq; hujus narrationis de qua modo dictum,  
nos admonet, Deum non introduxisse Anabaptisticam & Plato-  
nicam regum communionem, sed dominia statim à diluvio di-  
stulisse.

finxisse, quando totus orbis terrarum in filios & nepotes Noë  
distributus.

*Caput XI. Geneseos.*

XCI.

*Quæstio X. de prima lingua.*

Fuit omnis terra, inquit Moses, labij unius, & sermonis  
seu idiomatis ejusdem: unde emergit quæstio, quænam fuerit  
prima lingua, qua omnes homines ante diluvium & postea quo-  
que usq; ad Babylonicam *γλωττομουγία* usi sint?

XCII.

Psammetichum Ægypti regem refert lib. 2. Herodotus cu-  
pudicitatem cognoscendi, quinam primi homines extitissent, &  
quænam antiquissima lingua, incesse, idq; ita explorasse, quod  
duos infantes pastori educandos tradiderit & severissimè præce-  
perit, ne quisquam audientibus illis verbum loqueretur, sed ut  
in solitaria casa caprarum uberibus nutrentur, eos vero, cum  
tempus appulisset, quo alioquin pueri fari incipiunt, vocem bec-  
cus edidisse & sæpius iterasse. Beccus autem Phrygum lingua  
panem significat. Ex quo ille ratiocinatus est, Phrygas omnium  
antiquissimos, Phrygumq; idioma homini naturale esse. Sed ri-  
diculum est institutum, cum scire debuisset, sermonem non na-  
tura, sed auscultatione addisci, nimis stulta verò ratiocinatio, cum  
infantes inconditam caprarum vocem, beccus, imitati sint.

XCIII.

Inscitia est, quod Theodoretus quæstione 60. in Gen: tra-  
dit, linguam Syriacam Adamo & reliquis patribus vernacu-  
lam, hebream verò in sacris solummodo usitatam & in literis re-  
conditam fuisse. Nam Jacob cum à Labano discedit, tumulum te-  
stimonij voce hebraea Gilead appellat, quem Laban suo Aramico  
seu Syriaco idiomate, Iegar Sahadutha, nuncupat Gen. 31, 46.  
unde liquet in familia Abrahamæ & reliquorum patriarcharum lin-  
guam Ebræam mansisse, licet illi Syris permixti essent. Et Elias  
Levita tradit, Israëlitas in Ægypto tria retinuisse absq; ulla mu-  
tatione, nomina videlicet familiarum, vestimenta & hebraici  
sermonis usum.

XCIV.

Hebræam verò linguam omnium esse primam, qua Deus  
primos



primos homines allocutus est, & quæ usq; ad Babylonicam confusionem hominibus in usu fuit, extra omnem est controversiam positum. Augustin. lib. 16. Civit. D. cap. 11. de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 9.

#### XC V.

Nam Adamo nomen ab ipso Deo est impositum: id autem hebræum est, terrenam ejus, juxta corpus, originem denotans Gen. 2. 7. & 3. 19.

#### XC VI.

Porro Evæ, Caini, Abelis, Sethi, Enosi, Cainanis, Mahalaleelis, Jaredi, Methusalami, Enochi & reliquorum patriarcharum nomina sunt hebraica, & hebraicas habent origines Gen. 5.

#### XC VII.

Neve quis intra Sethi & filiorum Dei familias eam linguam solummodo usitatam fuisse existimet, ideo nomina filiorum & nepotum scelerati Caini Gen. 4. recensentur, quæ itidem sunt hebræa.

#### XC VIII.

Accedit nomenclatura rerum ab Adamo Gen. 2. condita, quæ multis animantium speciebus adhuc hodie infixæ est diversisq; linguis usitata. Verbi causa; Cameli appellatio græca, latina, germanica & reliquis linguis fertur, quæ certè non aliunde, quam ex hebræa (gamal) defluxit. Asinæ quoq; vocabulum latinum, à quo paulum deflectit dictio germanica & græca ex hebræo idiomate defluxit. Nam Athon, seu ut pleriq; literâ  $\Delta$  pronunciant, Ason est asina. Idem in dictionibus Phere, unde fera, & Pered, unde germanicum pferd & centum alijs videre est. Rectè enim Hieronymus Sophon: 3. Ebraicam linguam omnium linguarum matricem nuncupat: & Forsterus in lexico hebr: In gens est gloria & dignitas linguæ hebrææ præ cæteris, quod ab alijs linguis nihil mendicet aut mutuetur: aliæ verò ab hac multas voces mutuentur.

#### XC IX.

Fluminum insuper, Pisonis, Gihonis, Euphratis & regionum, Eden, Hevila, Cusch, Assur Genes: 2. nomina, quæ hodie durant, & hebræa sunt, arguunt hebrææ linguæ antiquitatē.

#### C.

Literæ alphabeti græci, latini germanici, aliarumq; linguarū figuræ.

figuras & nomina ex hebræo mutuata sunt, & quicquid sapientiae græci habent, id ab hebræis ingenioso furto abstulerunt, ut prolixè ostendit Clemens, 6. Stromarum, & Euf: l. 110. Præpar.

C.

Populorum præterea & gentium appellationes, de quibus hætenus differimus, liquidissimè id evincunt: præsertim cum pleræq; gentes hebræa nomina à conditoribus illarum primum indita, postea quoq; retinuerint.

CI.

Et qua lingua alia, quam hebræa locutus fuerit Noah & cæteri, qui Babylonicæ structuræ operam non dederunt, ne fingere quidem possumus. Cum enim peccati non fuerint socij, nec pœnæ implicari potuerunt.

CII.

Et deniq; nomen ipsum Babel, quod loci est, ubi omnes linguæ reliquæ incunabula sortitæ sunt, hebræum est: cumque id ipsum postea cætera idiomata servaverint, intelligitur inde, ab eo idiomate, cujus hoc vocabulum est proprium, reliqua defluxisse & deflexisse. In quo enim ea, quæ inter se dissident, conveniunt, id commune principium agnoscunt.

CIII.

Verum de hac re satis multa. Concludimus inde contra Pontificios, Deum non velle doctrinam cœlestem in peregrina & incognita, sed familiari & nota lingua tradi. Quandoquidem ipse in paradiso primis parentibus & postea Patriarchis oracula edidit, quæ tam Cainianis quam ipsis erat notissima.

CIV.

Bellarmini sententia est lib. 2. controvers: gener: primas cap. 15. argumento septimo, quo versiones bibliorum in vulgarem linguam oppugnat, quod ait: Videtur omninò majestas divinorum officiorum requirere linguam magis gravem & venerandam, quàm sint illæ, quibus vulgò utimur.

CV.

Hoc putidum Sophisma oppugnat & expugnat, quod Deus in paradiso non angelica sed vulgari lingua, quam Eva æquè ac Adamus callebat, primam evangelicam promissionem edidit, quòd divina oracula ultra mille sexcentos quinquaginta & sex annos non alia, quam hebræa lingua tradita & à patribus explicata

plicata fuerunt. Ac si quidquam est, quod ullam linguam  
coinquinare, minusque grauem & venerabilem efficere po-  
test, profecto hoc aut nihil aliud est, quod eadem hebrae  
lingua diabolus in paradiso est locutus, quod eadem ad deriden-  
dum Noam Deumque, ipsum ad exercendas suas libidines et imma-  
nia facinora postea Cain & scelerati filij hominum ac ferocissi-  
mi gigantes semper sunt uli. Neque tamen idcirco minus ea gra-  
vis & veneranda Deo visa fuit, ut oraculorum suorum majesta-  
te indignam judicaret, & propterea lingua aliqua caelesti & an-  
gelica tuam voluntatem humano generi significandam esse sta-  
tueret. Omitto quod sequentibus postea seculis Syros per Abra-  
hamum, Isaacum, Iacobum, Aegyptios per Iosephum, Assy-  
rios per Danielelem & reliquos verbi praecones suo quemque po-  
pulum domestico idiomate de vero Dei cultu erudiri Deus vo-  
luit, & quod Christus ipse concionatus est ac miracula edidit  
populari lingua, quod Apostolos denique idcirco linguarum do-  
no Deus instruxit, ut cuilibet genti in vernacula lingua ma-  
gnalia Dei annunciare possent. Aliam enim haec disputationem  
requirunt, hic innuisse sufficit. 1. Cor. 14. Rom. 15.

CVI.

### Questio XI. de adificata turri Babylonica.

Cum unquam omnes principio linguam sonuerint, unde  
tanta loquendi diversitas iniri sumserit, Moses aperit, quod  
nimirum insolens turris Babylonicae structura huic malo causam  
praebuerit. De Babylonica proinde turri haec quinque conside-  
randa Moses proponit, quae ordine expediemus.

CVII.

Principio de autoribus & architectis ait, quod fuerint filij *Nemrodus*  
& nepotes Noah, quorum genealogiae modo sunt explicatae. *Pyrgopolinices.*  
Vtrum omnes an aliqui non exprimit. Sed non omnes huic ope-  
ri manum admovisse, vel ex eo liquet, quod propheta hac pro-  
prietate structores notat, quod profecti sint ab oriente vallemque  
invenerint in terra Singhar & domicilia ibi fixerint. Iam neque  
orientem omnes deiecerunt, neque in valle unica omnes conle-  
derunt. Nemrodum principem & ἰργοδωκτιν totius operis fu-  
isse non est dubium ex superioribus. Ideo etiam Cecilius perhi-  
bet turrim vento dejectam Nemrodum ruina postmodum op-  
prexisse.

D

Colli-

CVIII.

Colligimus inde, cum neq; Noah, neq; omnes eius filij ac nepotes structurae interfuerint, quod apud illos lingua hebraea manserit inuoluta, & quod illi in audax hoc impiumq; facinus non consenserint. Deus enim quovis tempore caetum aliquem alias maiorem alias minorem conservat, quem sinceri cultus veraeque doctrinae vult esse custodem 1. Re. 19.

CIX.

Altera circumstantia loci est, quod in valle campi Singhar hoc aedificium excitant. Singhar autem varie interpretantur grammatici, quod suo loco relinquo. Monet loci amenitas, non aestimandam esse veram ecclesiam ab externis commodis Pf: 37. & 73. 144. Melius enim plerumq; habitant impij, quam pij, & dum Moles cum Israeilitis in deserto exulat, Chananæi commodis Palestinae fruuntur. Quin & illud, quod Singhar, quae postea Babylon, jam olim typus fuerit Regni pontificij, hominum oppressione, linguarum & doctrinae confusione, animi elatione, in populum Dei crudelitate Dan. 1. 2. Es: 11. 11. Zach. 5. 11. Apocal. 17.

CX.

*Bitumen  
Babyloni-  
cum.*

Tertio materia sunt illis lateres adignem coeli & bitumen: illi quidem vicem lapidum explent, hoc pro cemento adhibetur. Strabo lib. 15. fol. 705. in Babylonia, inquit, bitumen multum innascitur, unde glebae maximae concrematur ad aedificia idoneae, quae ex coctilibus fiunt lateribus. Vide filiorum huius seculi industriam & in suo genere prudentiam. Luc. 16.

CXI.

Quarto formam aedificij sic animo & sermone concipiunt, quod primo civitatem sibi construere volunt, deinde turrim in ea tantae altitudinis, ut caelum attingat. De urbis amplitudine Plinius l. 6. c. 26. Sexaginta millia passuum amplexa est muris duccenos pedes altis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam nostra. Strabo hunc in modum l. 15. f. 104. Babylon in campo jacet; muri ambitum habet CCC LXXXV stadiorum, ejus crassitudinem pedum xxxii; altitudinem inter turres cubitorum quinquagenum, turrium ipsarum sexagenum, viam super moenibus tam latam, ut quadrigae occurrentes facile pertransire possint.

CXII.

De turri ambigit Augustinus, vnam ne, & praecipuam, an plures.



plures intelligant: cum usitatum sit, nomine singulari non semper individua, sed speciem saepe indicare, ut cum miles pro militum exercitu, rana & locusta in Exodo pro multitudine illarum bestiarum vocitatur l. 16. C. D. c. 4. Sed amplitudo & altitudo operis non admittit, ut existimemus, eos plures eiusmodi turres molitos fuisse.

CXIII.

Iulianus apostata ex his verbis, ædificemus turrim, cuius caput pertingat ad cœlum, ansam arripit scripturam immaniter calumniandi, Esto inquit, quod omnes homines conveniant, linguaq; & voce una utantur, omnēq; terram in lateres & calcem coquant, quando usq; ad cœlū pertingent? etiamsi fune subtilius producat, ipsis filum ducentibus. Hanc igitur fabulam manifestam cum veram censeatis, inquit, & de Deo opinemini, quod territus sit humanæ vocis unitate, eiusq; gratia illorum linguas confuderit, ad huc audetis vobis Dei scientiam arrogare?

*Iuliani  
Scommā.*

CXIV.

Ad hoc aliqui simpliciter dicunt, quod sit vana & ambitiosa superborum hominum hyperbole, quasi dicerent turrim se excitaturos, cuius altitudo oculis terminari nequeat. Sicut Deuteron: 28 Vrbes Chananaeorum ad cœlum usq; munitæ seu muratæ vocantur. Cyrillus autem libro 4. contra Iulian. ita occurrit, ut dicat, audaces istos homines per cœlum aut ipsum firmamentum intelligere, & proinde conatum illorum esse & summè stultum & planè impossibilem, aut n. ore scripturæ nomine cœli nubes & sublimitatem indicare, sicut Psalmo 107. de nautis dicitur, quod concitata tempestate, fluctuum marinorum impetu ascendant usq; ad cœlos & vicissim descendant usq; in abyssos. Quod autem Deus non formidaverit hominum vanissimos conatus ex eo probat, quod ad eos descendit & obviā it temerarijs: timentis est fugere, hosti occurrere non nisi fortis animi. Cæterum quo pacto rudera istius turris describat Herodotus lib. 1. & alij suo loco roponimus.

*Turris  
usq; ad  
cœlum.*

CXV.

Postremo in quem usum eam molem excitant quæritur? Augustinus, Cyrillus & alij existimant, illos asylum & arcem libi parare voluisse, in qua ab aquis diluuij possent esse tuti. Verum quomodo turris caperet universos, & cur non in summo Imai montis vertice eam excitarent potius, quàm in valle Singhar, si perfugij causa ædificarent?

*Causa fi-  
nalis ædi-  
ficatæ tur-  
ris.*



CXVI.

Oratio ipsorum duos fines indicat, alterum à laudabili, alterum ab utili, ut ipsorum fert opinio. De priore faciamus nobis, inquiunt, nomen, quod nihil est aliud, quàm inani gloriæ appetitio, de qua Paulus nos admonet: Nihil facite per *κενοδοξίαν*, Phil: 2, 2, Gal, 5. 26. Et Deus resistit superbis 1. Sam. 2. 1. Pet. 5. Commune hominum vitium, ut famam appetant magnam potius, quàm bonam.

CXVII.

Quia verò suum nomen reddere cupiunt illustre, quod pre-mendum potius erat, inde sequitur: 1. quod alios superbè præ se contemnant, mortalitatis suæ, humanæ fragilitatis, peccatorumq; prorsus obliti sint. 2. Et quod epicurea securitate spem vitæ æternæ abjecerint. Alioquin enim non in terra, quæ ipsa interibit, immortalitatem quærent, sed ut nomina sua in cælo ad-scriberentur, Deum rogarent Luc. 10. 20. Quin etiam ambitio-sum hoc inceptum eos arguit, quod insuper divinæ gloriæ, in qua sola exornanda toti esse debebant, prorsus sint im-me-mores.

CXVIII.

Simile peccatum in Absolone Spiritus Sanctus damnat, quod ille crexerit sibi titulum, statuam seu obeliscum in valle regia, & dixerit: Non habeo filium, & hoc erit monumentum no-minis mei: vocavitq; titulum seu statuam nomine suo, ut appel-laretur manus Salomonis 2, Sam. 18. Rex quoq; Nabuchodonosor ob eiusmodi impiam animi elationem ratione & honore pri-vatur, cum sese hisce verbis jactaret: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitu-dinis meæ, & in gloria decoris mei, Daniel. 4, 27.

CXIX.

Ejusmodi verò sui admiratio, quid aliud est, quàm ex se- ipso suisq; studijs & operibus idolum facere, quod quisq; in ani-mo suo veneretur, & ab alijs quoq; coli, suspici, celebrari velit. Atq; hinc orta est Poëtarum fabula de Gygantum *Γιγανθία* & montium congestione. Quare non absurda est Thargum hiero-solymitani conjectura, quod Nemrodiana colluvies in sum-mo huius arcis fastigio templum condere voluerit. In eo verò procul dubio concurrentibus ad tanti operis spectaculum undiq; hominibus, vel idololatriæ operam dare, vel certè alijs, sibiq; per-sua-

*Inanis glo-  
riæ appe-  
titio.*

*Absalonis  
Statua.*

*Gigantum  
theoma-  
chia.*

persuadere cogitarunt, cultum alibi, quam in hoc delubro, ut-  
pote editiore caelisq; viciniore, DEO acceptum non esse,

CXX.

Nam & postea in Aegypto Reges Nimrodianam *κενοδοξίαν*  
imitari incredibili sumptu pyramides extruxerunt, tum ut sui *Pyrami-*  
nominis perpetua monumenta conderent, tum ut idololatriæ *des Aegy-*  
incitamenta hominibus obijcerent: & in populo quoq; DEI ca- *pti.*  
mansit opinio, quod in montibus & locis editioribus cultus  
DEO esset gratior quam in campestribus. Atq; huc respexisse  
mihi videntur Iosephus, Zonaras & alij. Cyrillus e-  
nim lib. 4. in Gen: ita eorum institutum interpretatur, quod  
neglecta fide, excogitatis operibus & laboribus viam sibi in cœ-  
lum struere voluerint, quam insaniam postea Pharisei & omnes  
hypocritæ secuti sint.

CXXI.

Hoc itaq; sibi volunt, hisce tumidis verbis: Faciamus nobis  
nomen. Quod autem porro ajunt: ne dispergamur super faciem  
universæ terræ hac ratione fiduciam humanorum præsidiorum  
produunt; sic enim propriè voculam, Pen, quæ in hebræo textu  
est, interpretamur, cum D, Luthero, ne forte dispergamur. Qua-  
re hoc etiam nomine; in primam tabulam atrocissimè delin-  
quunt. Ierem: 17. Psal. 103. & 20. & 33. Esa. 2. Cogitare debebant,  
nomen Domini fortissimam esse turrim. Prov. 18.

CXXII.

Metuunt dispersionem; quia 1. à Noah audiverant. 2. &  
quia Tyrannidis suæ sibi Nimrod eiusq; socij probè conscij  
erant, nec ignorabant, qui ab alijs vult metui, ab illis eum vi-  
cissim meritò metuere. Quamobrem hæc illorum oratio indicat,  
quod turrim istam Nimrodus voluerit esse præsidium suæ tyran-  
nidis, è quo genus humanū impugnare, & cujus altitudine ac ro-  
bore omnè inimicorum insultum excipere ac reprimere posset.

CXXIII.

*Quæstio XII. cum quo Deus de Nimro-  
dianorum opere locutus sit.*

Moses Deum descendisse ait, ut videret turrim, quod non  
de loci mutatione, sed de præsentia, qua alioquin omnia com-  
plectitur,

plectitur, Esa: 40. Act: 17. manifestatione, deq; effectu diuinæ  
præsentia in oculos incurrente, intelligi debet. Neq; enim ut  
conspiciat externum opus, accessu indiget, qui corda hominum  
*Deus quo* intropicit. Hac vero *αυδγωσωπαδεια* nos etiam Dominus ad-  
*modo de-* monet, ne præcipites simus, neve sententiam feramus ante cau-  
*scendere* sæ cognitionem. Deut: 17. Syr: 10. 1. Tim: 5. Qua de re Cyrri-  
*dicatur, et* lus, lib: 5 in Iohann: cap: 16. Numquid descensu indiguit Do-  
*cur.* minus ad videndam turrin, cui omnia, antequam fiant, cognita  
sunt, & qui cælum atq; terram implet: An non ideo descendisse  
scribitur, ut nobis significet, examinandam esse prius causam cri-  
minis, quam feratur sententia.

#### CXXIV.

Ostendit autem Deus, sibi summoperè in hominibus displicere  
hæc quatuor. Principiò coniurationem, de qua dicit, Ecce u-  
nus est populus ( neq; enim de veræ amicitia conjunctione, sed  
de nefaria tyrannidis conspiratione conqueritur. ) Deinde abu-  
sum linguæ, de quo ait, Vnum est labium omnibus, quasi dicat,  
linguæ conformitas vinculum esse debebat unius & veræ religi-  
onis, concordia ac fraternæ conjunctionis, jam verò sermonis si-  
militudo fit illis instrumentum, quò aduersus Deum & homi-  
nes nefaria consilia communicent. Tertiò vituperat audaciam,  
de qua ait, Ceperunt hoc facere, quasi dicat, Non me, nec mini-  
stros meos, Noam & Semum audiunt, sed quo effrenis dominan-  
di cupiditas impellit, præcipites feruntur. Deniq; pertinaciam  
in impio proposito, non desistent, inquit, donec opere comple-  
ant: meritò autem punitur malus affectus, etiam cui non succedit  
effectus, ut loquitur August: lib. 16. de C. D. cap. 4.

#### CXXV.

His causis ad justissimam iram Dominus commotus ait: Ve-  
nite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Vbi  
meritò quæritur, quem Dominus hac oratione alloquatur. Ac  
Iudæi quidem tradunt, Deum cum angelis colloqui. Verum il-  
lis duo repugnant. Primum enim divina Majestate indignum  
est, eam involvi mandato, quod datur ministris. Ad angelos e-  
nim Dominus diceret, ite, descendite. Quia verò sic ait, descen-  
damus, ex eo liquet non ad inferiores, sed ad pares sermonem  
institui. Deinde opus abolendi linguam consuetam & subito in-  
ducendi nouam non in ullius creaturæ facultate, sed in solius  
Dei

*Pater æ-*  
*ternus cū*  
*Filio loqui-*  
*tur.*



Dei omnipotentia situm est. Ille fabricatus est mutum et surdum, ille aperit os hominis Ex: 4. 11. Act. 2. Neque enim finitæ est sapientiæ infinita rerum in diversissimis linguis vocabula *Linguas* rumq; inflexionem, compositionem, constructionem, pronun- *formare* ciationem in momento condere; neq; in creata positum virtute *est opus* notitiam habitumq; consueti sermonis ex animo penitus abrade- *Dei,* re, & citra magistri operam novum habitum imprimere.

CXXVI.

Ac tametsi Augustinus libr. 16. C. D. c. 6. dubitare videtur, absq; omni tamen dubitandi ratione certum est, Deum filium cum æterno patre & Spiritu Sancto colloqui, sicut Tertullianus contra Praxeam fol. 417. hoc testimonium vrget: Filius est, in- *Aug. in* quit, qui ab initio iudicavit turrim superbissimam elidens, lin- *Iob.* guasque disperdens, orbem totum aquarum violentia puniens,

CXXVII.

Cyrillus lib. 3. de Trinit. tom. 2. col: 392. Proinde licebit inculpate dicere, quod Deus neq; angelis neque alijs rationalibus virtutibus dixerit: venite & descendentes confundamus eorum linguas, sed Sancta Trinitas quasi simplici motione nature unius seipsam ad operandum aliquid excitavit: quoniam opus erat ad solum conditorem spectans transformare expedita linguam pro suo arbitrio.

CXXVIII.

Loquitur autem sibi Deus, ut ait Augustin: l. 16. C. D. c. 6. ineffabili suo modo. Dei quippe sublimior ante suum factum locutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atq; transeuntem, sed vim sempiternè manentem, & temporaliter operantem.

CXXIX.

*Questio XIII. de diversitate linguarum.*

Quod non sit consilium adversus Dominum, & quod ille comprehendat sapientes in astutia ipsorum. 1. Cor. 3. 19. Iob. 5. 13. eius rei evidentissimum argumentum poena architectis Babylonicis inflicta suppeditat, de qua Dominus ait: confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisq; vocem proximi sui. Quæritur autem, quid in lingua poenæ rationem habeat?

Respon-

### CXXIX.

Respondetur, quod lingua seu sermo ipse, quo animi sensa exprimimus, deq. Deo & alijs rebus necessarijs communicamus non sit pœna sed insigne Dei beneficium, quo hominem præ omnibus animalibus instruxit Iacobi 3. v. 9. Ac quod de unoquoque idiomate & lingua verum est, quod sit inventum & donum Dei, id etiam de reliquis omnibus, & generatim de varietate, multitudine & diversitate linguarum sentiendum est. Nulla enim coram Deo altera est sanctior & dignior.

### CXXX.

Notitia quoq; & usus diversarum linguarum donum Dei est, quod Apostolis contulit immediate Act. 2, nobis per præceptores in scholis hodie largitur ad ædificationem Ecclesiæ 1. Cor. 12. 28.

### CXXXI.

Ignorantia verò diversarum linguarum & commixtio hominum diversis linguis loquentium, & labor, qui in addiscendo peregrino sermone insumendus est, pœnam habet Es: 28. 11. 1. Cor. 14. 21 juxta divinam comminationem, adducet Dominus super te gentem de longinquo etc. cujus linguã intelligere non possis Deut. 29. 99. Vnde etiam David Ps. 55. Domine, inquit, divide linguas eorum. Augustinus pœnæ culpæq; similitudinem considerat & ait: Quoniam dominatio Imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, ut obædiret jubenti Deo.

### CXXXII.

Genera linguarum quot sint frustra quæritur, cum exquiri nequeat. Augustinus equidem lib. de mirabilibus sacr. script. cap. 9. ait: linguas septuaginta duas esse; cui plurimi autores consentiunt, quia in ædificatione turris tot patres congregatos fuisse dicunt. Quæ etiam Epiphaniij est sententia libr. 1. contr. hæret. tom. 3 hæret. 39. fol. 136.

### CXXXIII.

Quòd autem mutatis linguis cessant ædificare & in diversas terras disperguntur, causæ multæ sunt, primum enim conscientia eos arguit, se Deum graviter offendisse, & hanc in se pœnam concitasse. Deinde consilia, sine quibus tantæ molis opus absolvi non poterat, communicare jam amplius nequeunt:  
adhæc

adhæc nemo jam alteri fidere seq; tutò committere audeat. Quare & opus impeditur & conjurationis societas dilabitur. Sic illa conspiratio dissoluta est, juxta Augustinum, cum quisq; ab eo, quem non intelligebat, abscederet: nec se, nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret. libr. 16. C. D. cap. 4.

CXXXIV.

Ceterum Deus pro sua in genus humanum benignitate, quod post diluvium superbia hominum fuit dispersum, id post institutum baptismum diluvij ἀντίτυπον vicissim congregavit: Unde Augustinus: Per superbos homines divisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregavit linguas. In enarr: Psalmi. 54.

CXXXV.

Hinc itaq; Vrbi nomen inditum est, ut Babel vocaretur, asserente Mose, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Nam Balal est confundere & permiscere, Thebel commixtio & confusio, Babel per ἀναδίπλωσιν quasi Balbel, vel quasi Bebel, in confusione, ut B præfixum præpositionem notet.

CXXXVI.

Operæ deniq; præciū est illud occasione nominis Babel attingere, quod de idololatriæ origine eruditi tradunt. Cyrillus libro 1. contra Iulianum: nullus, inquit, hominum, qui vixerunt ante diluvium, taxatur, quod dijs alienis fuerit deditus, vel immundis dæmonibus obtulerit. At post diluvium & constructionem turris, & linguarum discretionem etiam de Deo indignam habuerunt opinionem qui per universam terram disperserant.

CXXXVII.

Sapientiæ liber cap: 14 ait: Initium fornicationis est exquisitio Idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ est. Non enim erat ab initio, neq; erit in perpetuum. Acerbo luctu dolens pater rapti citò sibi filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.

CXXXVIII.

Hæc verba Lyranus de Belo interpretatur Babylonis tyranno

E

ranno

ranno & ait, Beli filium Ninum patris sui defuncti imaginem in arce regia constituisse, ut delinquentibus asylum esset, atq; illum quicumq; ad illud confugissent, ijs delictorum veniam, ob reverentiam erga parentem, fecisse, & hoc exemplum postea alios quoq; imitatos esse, idolorumq; cultum hisce principijs invaluisse. Sic Lyra, Cedrenus autem fol: 37. initia idololatriæ Serucho filio Iapheti tribuit.

CXXXIX.

*Belus quis.* Etsi autem historiographi hunc Belum Nimrodi filium faciunt, ut Cedrenus, August: lib. 16. C. D. cap. 17. Eusebius in præfatione Chronici, Berofus & alij: dubium tamen non est, ipsum Nimrodum Babylonis fundatorem eodem nomine fuisse nuncupatum, vel ab hebræo Baal, quod Dominum significat, vel quod magis consentaneum videtur, à Babel, ἀναδιπλώσει primæ syllabæ demta, & postea Assyrijs ac Babylonijs regibus id nominis mansisse, sicut in Ægypto Pharaones nuncupati sunt. Fuit enim Nimrod πολυώνυμος, & alias, ut testatur Cedrenus, Saturni, alias etiam Orionis nomine vocitatus: Vxor eius Semiramis, alioquin Rhea dicta.

CXL.

*Baal.* Scriptura sanè Babylonem idololatrias ubiq; accusat, eamq; ut typum Antichristi Romani, & regni omnis blasphemiae, & abominationis matrem, τῶν πόρνων καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς Apocal: 17. 4. nuncupat, Beli verò idolum prophetæ hinc inde execrantur Es: 46. 1. Ier: 50. 2. 51. 44. & in apocryphis Danielis cap. 14. cultus eius describitur. Quemadmodum etiam à Baalis nomine quæcunq; idololatria vocari cœpit.

CXLI.

Vnde sequitur Babylonē fuisse primam idolorum officinam, & hinc idololatriam & religionis corruptelam unâ cum linguarum confusione inter gentes disseminatam esse.

CXLII.

*Questio XIV de Genealogia patrum à diluvio usq; ad Abrahamum.*

Singulare κεφάλιον est ecclesiæ, quod in sacro codice certam habemus chronologiam annorum ab initio mundi annotatam. Nam alij historici, quotquot illorum extant apud græcos & latinos

tinus, hac in parte manci & profus muti sunt. Moses vero accuratissime numerum annorum ab initio mundi usq; ad diluuium supra quinto capite consignavit, hic à diluuiio seriem annorum usq; ad Abrahamum continuat.

#### CXLIII.

Post χρονολογίαν, de qua modo dictum, proximum est, ut in hoc catalogo obseruemus genealogiæ Christi certitudinem, cuius pars ea, quæ à Noah usq; ad Abrahamum ducitur, hoc loco recenseretur.

#### CXLIV.

Sed occurrit scrupulus, quod græca versio & Lucae codex qui secutus est græcam interpretationem cap. 3. 36. inter Salah & Arphaxad medium inserit Cainan. Hinc enim evidens emergit in annorum calculo discrepantia. Hebræus enim textus tribuit Arphaxado tantum XXXV annos, cum genuerit Salahm, & post filij generationem reliquum vite Arphaxadi annis CCCIII. terminatum fuisse dicat, qui anni collecti efficiunt CCCXXXVIII. Græcus autem interpres ait, Arphaxadem habuisse annos CXXXV. cum filium Cainan susceperit, & postea vixisse annos CCCXXX. Cainan porro anno ætatis centesimo trigesimo genuisse Salam, qui anni aggregati constituunt DCXCV. Et si autem illi anni, qui post filiorum procreationem in vita cuiusq; patris computantur, nihil mutant de chronologiæ summa: interim tamen dum græca versio Arphaxado ante procreationem filij adijcit integros centum annos ultra illos XXXV, qui soli in hebræa veritate leguntur, & deinde Cainæ tribuit annos CXXX. ante filij Salah natiuitatem, inde fit, ut græcus annorum numerus C CXXX. annis hebræum superet.

#### CXLV.

Verum in hoc nodo dissecando nitimur hebraicis fontibus, Cainan neq; dubitamus, in græca versione perinde erratum esse, ut supra capite quinto in catalogo patrum ante diluuium. Accedit firmissimum testimonium libri 1. Paral. 1. 24. ubi inter Arphaxadem & Salahm nullus Cainan intercedit. Postremo neque Onkeli neque Ionathæ chaldaicæ paraphrases neque latina vulgata versio Gen: 10. de Cainan hoc loco quicquam meminert. Manifestum proinde est, hoc σφάλμα cæteris, quæ

*Cainan filius Salah*

*extinguendus è catalogo.*

in græca interpretatione sunt obvia, accenseri debere. In Lucam, verò hoc scribarum incuria irrephisse certum est. Nam & Lyra ad caput tertium Lucae sic annotatum reliquit: Secundum Hieronymum, inquit, & secundum translationem, qua utimur, non ponitur aliquis medius inter Saleh & Arphaxath. Licet Beda in hac re omnem certitudinem desperet, Lyra verò ita discrepantiam hanc conciliare conetur, ut existimet Cainam fuisse patrem Salæ legalem, qui Salahm adoptaverit, Arphaxadem autem naturalem & verum, è quo ille sit genitus.

CXLVI.

Tertium deniq; quod in præsentè catalogo patriarcharum notari debet, est illud, quòd inde discimus, qui fuerint post diluuium Ecclesiæ gubernatores, & doctrinæ custodes, quorum industria & pietate conservata & ad posteritatem propagata est, videmus etiam cujusmodi collegium fuerit docentium in Ecclesia, & qui, cum quibus, ac quamdiu vixerint.

CXLVII.

Videmus etiam μακροβιότητα patrum post diluuium. Sem etenim sexcentos annos, Saleh quadringentostigintatres, Heber quadringentos sexaginta quatuor explet: vnde colligimus Deum supra cap. 6. Gen: cum diceret, se homini dare centum viginti annos, non de vitæ termino sed de pœnitentiæ spacio locutum esse.

CXLVIII.

Quærit insuper Lyra, cur in hoc catalogo non adijciatur ἡπιθανός illa clausula, & mortuus est, quemadmodum supra cujusq; patriarchæ vita ejusmodi ἐπιταφίω λόγῳ fuit conclusa? Respondet autem, supra quidem epiphonema istud sepulcræ adjectum fuisse propter Enochum, qui non mortuus, sed in cœlum sublatus est: hic autem tali distinctione opus non fuisse, cum omnes, nemine excepto, communi conditioni naturæ fuerint obnoxij.

CXLIX.

De Arphaxado obscurum est, quomodo natus sit biennio post diluuium, & nihilominus anno Semi centesimo? verum scriptura majoris numeri mentionem facit, & de minore ex addita Arphaxadi nativitate æstimari vult. Vtrum verò Elam &

& Assur nati sint ante Arphaxadem, non est operæ precium inquirere, si gemellos statuas potuerunt antecedere: si medio loco ponas Arphaxadem nihil etiam scripturæ adversum.

CL.

*Questio XV. de natalibus, conjugio, religione & migratione Abrahæ.*

Cæterorum patrum, qui enumerati sunt, historia non recensetur, de Abrahamo verò Moses quatuor hic commemorat notatione dignissima. Principio enim natales & familiam ejus describit eo modo, ut in hoc schemate exhibemus:

THARE

—————  
Abram Nachor Haran.

—————  
Lot.

CL I.

Pleriq; Harano præter Lothum filium tres attribunt filias, quas Loti sorores esse putant, Saram, Melcham, Iescham: & de Melcha ac Iescha equidem dicit Moses, illas ex Harano esse natas, de Sara verò nihil. Quare iidem opinantur Saram alio nomine Iescham nuncupari: verum has conjecturas ἀπειράτως omittimus: præsertim cum ἐνδοξώτερον videatur, duos recenseri Haranos, unum patrem Loti, alterum patrem Melchæ & Ieschæ, & à Mose de posteriore discriminis causâ addi, quòd pater fuerit Melchæ & Ieschæ. Quæ sententia eam quoque ob causam probatur, ne Nachorem fratris Harani filiam matrimonio sibi copulasse statuamus, quod legi divinæ Levit: 20, 19. repugnat.

Duo Harani.

CL II.

Secundum est de conjugio Abrahæ & Saræ, de quo variæ sunt sententiæ. Sed ea quæstio infra capite 20. Genes: erit explicanda. Hoc loco illud sufficit, sive Saram Sororem Abrahæ ex eodem patre non autem eadem matre, sive propinquam agnatam cens<sub>eamus</sub>,

E 3

scamus,

*Fratrum* scamus, licitas fuisse ante & post diluuium ejusmodi conjunctio-  
*& sororū* nes ( lege nondum lata ) ob ecclesiae incrementum, quae postea  
*conjugiū.* Leuit: 18. & 20. prohibitae sunt.

CLIII.

*Abraham*  
*fuit idolo-*  
*latra.*

Tertiò quod ad religionem Abrahæ attinet Moses ait, illum cum patre Thara et uxore Sara nec non Loto fratris Harani filio de Vr chaldæorum migrasse : Quod ita exponit Iosua libri sui cap. 24. 2. Trans fluium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, servi eruntq; dijs alienis.

CLIV.

Abrahamus proinde idololatra fuit ab initio, Beli cultor, mirabili verò modo inde extractus, & mera Dei gratia ad lucem veræ religionis vocatus atque conversus est Rom. 4. Act. 7. Eph. 2.

CLV.

*Fabula Ju-*  
*dæorum*  
*de Abra-*  
*hamo ex*  
*igne libe-*  
*rajo.*

In migratione deniq; Abrahæ meritò consideratur, quid sibi velit Vr Chasdim seu Chaldæorum? Rabini equidè referente Ieronymo & Lyrano fabulantur Abrahamum, cum adhuc es- set in Chaldæa, acriter restitisse idololatriæ Nemrodicæ & Ig- nem colere, quod Babylonij faciebant, noluisse, ideoq; in flam- mam coniectum, divinitus autem incolumem conservatum & extractum esse, sicut juvenes in fornace Babylonica. Sed Iosua hoc commentum refutat, qui Abrahamum idololatriæ deditum fuisse in Chaldæa perspicuè affirmat.

CLVI.

*Vr, vel Or*  
*vel Orcha,*  
*vel Ora.*

*Oromas-*  
*des et Oro*  
*manius,*  
*sol oriens*  
*& occum*  
*bens.*

Vr civitatem fuisse Babylonicæ regionis dubium non est. Et Plinius lib. 5. cap. 24. Vram locum in illa ponit vicinia. No- men illi inditum ab igne seu luce. Persas vero & Chaldæos ignem divinis honoribus affecisse Herodoti aliorumque testi- monio constat, & Xenophon lib. 8. instir: Cyr. perhibet ignem ante reges Persarum solenni in pompa, quando ad sacris- ficia processerunt, portati magno in foco solitum fuisse. Plutar- chus in libello de Iside & Osiride prolixè commemorat Assyrios ex institutione Zoroastris magi duos coluisse deos contrarios, nomen uni fuisse Oromazæ seu Oromasæ, alteri Arimano, illum ex limpidissimo lumine, hunc ex caligine genitum, illum



illum proferre lucem, hunc tenebras, illum vitae, hunc pestis  
autorem.

CLVII.

Quæ omnia indicio sunt Persas & Chaldæos per Oromazen seu Oromasden nihil aliud quàm Solem, per Arimanium lunam intellexisse. Ac Orimasdæ quidem appellatio vel depravata est ex Vr Chasdah, quod Chaldaica terminatione pro Chasdim, id est, Chaldæorum dicitur: Vr siquidem Casdim Thargumici reddunt Vrah Decasdim: vel etiam ab Vr & Moza, quod ortum solis significat, quandoquidem solem ex orientem cultu excipere consueverunt. Arimanij verò nomen aliunde non est, quàm ab Vr seu Or, quod lucem diurnam Solemque notat, & à voce Manoah, quod quietem significat. Lunam enim quietis nocturnæ dominam finxerunt.

*Orimasda  
Chaldæorum.*

*Arimanij.*

CLVIII.

Constat verò è vita Alexandri nec non Artaxerxis à Plutarcho descripta Assyrios & Persas per Orimazen tanquam deorum omnium principem jurare eique se totos committere solitos fuisse.

*Horus &  
hora.*

CLIX.

Vnde quoque factum ut  $\omega\gamma\omega\epsilon$  diceretur annus circuitu solis descriptus, &  $\omega\gamma\omega\iota$  anni partes.

CLX.

Solis & ignis impius hic cultus per  $\kappa\alpha\kappa\omega\zeta\upsilon\lambda\iota\alpha\nu$ , diabolo suggerente, ex eo proculdubio defluxit, quod Chananis posteris à vera Religione secessionem facientes recordati sunt suisque liberis recitarunt, quod illi à majoribus acceperant, quo pacto Abelis sacrificium cœlitus accensum, Abrahami item victimæ igne divinitus misso haustæ fuerint: accessit postea, quod Israëlito populo mandatum fuit ut in tabernaculo lucernam perpetuo ardentem custodirent, quodque Deus ex igneo rubo cum Mose primum collocutus est, Ethnici proinde neglecto Creatore creaturam venerati sunt.

*Unde cultus ignis.*

CLXI.

Neque apud Persas solum hæc idololatria fuit usitata, sed

*sed*

sed apud græcos quoque & Romanos virgines vestalas & flamines ignem custodire perpetuumque fovere capitalis supplicij metu adacti sunt.

CLXII.

Et Romana Babylon, ne hac in parte veteri Babyloni Chaldæorum cederet, non minorem cereorum & lychnorum, olei & laternarum candelabrorumque consecratione, expiatione, veneratione, circumgestatione superstitionem & magiam exercuit hodieque exercet.

FINIS.



AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237



sb.

Wort







B.I.G.

Farbkarte #13

1 j  
VTATIO BIBLICA X.  
LIGINIBVS GEN  
MONARCHIARUM TER  
TRIBUTIONE è DECIMO: DE  
urris Babylonicæ, linguarumq; con  
non chronologia & vitis patrum  
Abrahami vocationem, ex vn  
ecimo capite Geneleos

in vrbis 8. Aprilis anno Christi  
1598. proposita

à  
ONE GESNERO S. S.  
E DOCTORE ET PROFESSORE  
Academia Vitebergensi  
publico.

Respondente  
MONE BLECHSCHMID  
Curienti Voitlando.



VITEBERGÆ,  
M. Georgij Mulleri,  
anno dno 1598.

